

illius, ut splendorem potius illis quam ignominiam allatura sint. Id quod etiam in presenti cernimus, dum scimus, legimus et audimus multa sanctorum peccata, quæ hic expiarunt, propter quæ eos nequaquam vilipendimus, sed potius laudamus et admiramur. Contra vero si hic texerimus peccata nostra, ea tunc coram toto mundo aperientur, imo nos ipsi, compellente conscientia, aperire et confiteri cogemur, sed sine fructu, imo ad majorem nostram damnationem. Atque ita fiet, quod prædixit Amos cap. V. *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ et non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus. Vult dicere, qui hic fugit Deum parentem, ibi inveniet sævientem. Sed nonne leo crudelior et horribilior est urso? Nequaquam; quia leo prostratis parcat, ursus vero in jacentes acrius sævit. Audi Ovidium. l. III. de tristib. eleg. V.*

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:  
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet:  
Ast lupus et turpes instat morientibus ursi.  
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Modo igitur Deus quasi leo est, quia prostratis ante pedes suos, (qui sunt confessarii) parcat, ignoscit et peccata tegit. Ibi vero occurret eis *Quasi ursus raptis catulis*, uti prædixit per Oseam cap. XIII. et tunc prostratis et confitentibus non modo non parcat, sed magis in eos sæviet, eorumque scelera coram toto mundo puniet. Elige igitur nunc quem obvium tibi malis, ursam an leonem? Elige quod vis: «Si non confessus lateas, inquit Augustinus in comment. in Ps. inconfessus damnaberis.» Quid non faciunt aliqui incarcerati cum sciunt se convictos et supplicio afficiendos, ut publicam illam confusionem effugiant? Aliqui in carcere sibi necem inferunt: alii mira excogitant quomodo sibi funes faciant, quibus demittere se possint: alii altissimis e locis desiliunt, et crura frangunt: alii per arcitissimas fenestellas intorquent ut effugiant. Et quid confusio ista cum illa universalis?

IV. Respectu pænæ et tormenti, quod sustinet peccator a verme conscientia et propriis peccatis: de his enim Ecclesiasticus cap. XXI. dixit: *Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te*, id est, tractabunt te ut leones, ait ibi Emmanuel Sa. Nam subjungitur: *Dentes leonis, dentes ejus, interficient animas hominum*. Remorsus igitur conscientia morsus sunt leonis. Ad hæc sicut leo metuunt res minime metuendas uti rotarum orbis circumactos currusque inanes, et gallinaceorum cristas cantumque, quasi urgente parricidii remorsu, quod dum nascitur, matris ventrem discerpit, ut scribit Plinius, vulgo ita creditum l. VIII. cap. XVI. *Sic cum sit timida nequitia, dat testimo-*

*nium condemnationi: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia*, ait Sapiens Sapient. XVII. *Terrebit eos sonitus folii volantes*, ait Deus Levit. XXVI. *et ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, etc.* Cujus rei testis est experientia. Hinc enim semper pavent, et nullibi consistere possunt, uti Cain; alii sibimet necem inferunt, uti Judas; alii aculeos sufferre scelerum, cum nequeant ipsimet ea produnt, uti Antiochus et Creusa apud Euripidem in Ione, qui ut flagellantis conscientia stimulos leniret, detexit occultum stuprum suum. Nec dubium quin, eadem perurgente, venerint ad Joannem in desertum peccatores confitentes peccata sua, Marci XI. Quis enim, quæso, eos ad hanc confessionem adegit? Non lex scripta, neque Joannes, sed accusatrix utique et lancinatrix conscientia.

Ex quibus patet cor peccatoris esse quasi speluncam leonum, rugitu suo totum cubile cordis concutientium. Ejusmodi habitationem nactus aliquando erat Malchus monachus fugitivus, ut scribit in vita illius sanctus Hieronymus. Cum enim postquam monasterio deserto, captus in servitutum ductus esset ab Ismaelitis et ab hero profugisset, ipso insequente territus speluncam subiit. Unde cum egredi juberetur et jamjam extrahendus esset, læna prodiit, qua intrantem heri servum occidit, et mox deinde alterum. Unde adhuc magis sibi timere Malchus cepit, cum se apud leones divertisse sensit. Mox tamen, ubi læna visam se esse sentiens, catulum suum extulit et speluncam deseruit, recreatus est Malchus et incolomis evasit. Ejusmodi hospitium et cubile est peccatoris cor. Foris expectat eum Dei, a quo profugit, gladius: quæruntr extrahere e corpore animam dæmones: intus angit peccatorum conscientia velut læna, quæ nisi catulos suos offerat per confessionem, quietem nullam dabit. Quid igitur non libenter facere debet homo, ut tam malos fugiat hospites? Quis non malit occurrere uni catulo leonis, quam leonibus et lænæ cobabitare? Hos autem fugies per confessionem. Unde sponsus ad sponsam ait Cantic. IV. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum*; persequentium scilicet te. Addit vero *Veni coronaberis*; quia per confessionem coronatur homo divina gratia, spirituale gaudium afferente.

V. Ingens fructus, qui per eam comparatur; sanitas videlicet animæ et gaudium cordis, quod esse potest argumentum suavitatis confessionis. Et hoc designat mel, quod habuit in ore catulus leonis, quem occiderat Samson. Quid enim hoc mel aliud, nisi suavissimum illud verbum confessarii: *Ego te absolvo? Pe-*

rinde enim est, ac si dicat: *Dono tibi omnia debita, quæ apud Deum contraxisti: aufero tibi omnes catenas, quibus in carcere diaboli ligatus tenebaris, et aperio tibi carcerem ut libere abeas: sano tibi omnes infirmitates tuas: deleo te de libro mortis, et inscribo te in librum vitæ: surge et abi, Omne debitum dimisi tibi: surge velociter, et discede, Quia ceciderunt catene de manibus tuis. Surge, tolle grabatum tuum, et ambula, etc.* O mel suave! Quam dulce putatis fuisse verbum illud Domini in aure leprosi: *Volo, mundare?* Et illud in aure paralytici: *Confide fili, remittuntur tibi peccata?* Et illud in aure adulteræ: *Nec ego te condemnabo?* Totum hoc comprehenditur illa voce: *Ego te absolvo.* O vocem melleam e cælo delapsam! Verius enim quam populus ille blandiens Herodi concionanti: Actor. XII. exclamare possumus: *Dei voces et non hominis*. Quam multi non dico homines, sed populi existunt, qui hujus virtutem vocis vel miseri non intelligunt, vel si intelligant, habere non possunt? Et si hoc scirent, quod nos per fidem scimus, quid non agerent, quantum iter non susciperent, ut hanc audire vocem possent? Unde cum languido illo, Joan. V. vere dicere possunt: *Hominem non habeo, ut mittat me in piscinam*. Quid enim medica illa piscina designavit, nisi sacramentum pœnitentiæ quod a magno illo consilii angelo, de cælo ad nos delapso, vim accepit abluendi quævis scelera? Sed hominem non habent quam plurimi peccatores; non habent confessarios, a quibus mittantur in hanc piscinam. Atqui nos an quæso dicere possumus: *Hominem non habeo?* Ecce hic et ibi et ubique expectant nos ejusmodi homines. Neque semel in anno tantum prostat hæc medicina sed quotidie; et habemus quotidie homines, qui mittant nos in piscinam. Sed eo nunc res devenit, ut e converso confessarii dicere debeant: *Hominem non habeo*, quem mittam in piscinam. Sedent confessarii in templo multis sæpe horis, sed homines non habent, quos mittant in piscinam. Quæ tandem hujus rei causa, cum pro sanitate corporali recuperanda in piscina probatica tantus fuerit populi concursus, ut languidus ille per triginta et octo annos ibi jacens, non potuerit in aquam primus descendere, ut qui solus sanabatur? Num quia non credimus tantam esse vim confessionis? Et væ nobis: quo enim alio remedio a peccatis liberabimur? Quam habemus fidem, si istam non habemus? Num forte, quia hoc lavaero minime egemus? Et rursus væ nobis: tunc enim multo maxime ægrotamus, cum ægrotos nos esse nescimus, et nos ipsos mendacii pane pascimus, qui tamen postea in ore nostro fiet calculus, juxta id Prov. XX. *Suavis est homini panis mendacii, et postea im-*

*plebitur os ejus calculo*. Qui enim nunc negligunt confiteri, quasi non indigeant, aliquando volent, et non poterunt; et tunc fel et absinthium invenient in ore. Aggrediamur itaque animose hunc catulum, dilaceremus et in frustra discerpamus: erit enim, cum regressi de confessionis tribunali reperiemus in illius ore mel divinæ consolationis, gratiæ et laudis, quale in figura contulit Jacob filio suo Judæ, Genes. XLIX. *Juda (o confessio) te laudabunt fratres tui*; omnes scilicet electi. S. Augustinus in sentent. tom. III. sent. CCXL. ait: «Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium.» Refert Dietmarus et ex eo Baronius anno 1015. Alemanniæ ducem Ernestum Leopoldi filium, cum in venatione fuisset sagitta transfixus, neque sacerdotis, cui confiteretur, esset copia, publicecorum militibus aulicisque suis omnibus confessum esse atque Wirceburgi juxta patrem sepultum. De quo subdit citatus Dietmarus: «Hic juvenis, ut spero felicem habet animam, cui placuit hic coram multis erubescere, quam coram omnipotenti Deo latere.» Non timuit hic princeps coram subditis suis publice confiteri, quo mel remissionis apud Deum inveniret: quid timemus nos confiteri sacerdoti, etc.

## CONCIO VII.

## DEFECTUS CONFSSIONIS.

I. Confessio quæ in genere tantum facta. — II. Sine circumstantiis. — III. Non integra. — IV. De levioribus tantum se accusans. — V. Extorta. — VI. Hypocrita.

## THEMA.

*Quid dicis de teipso?* Joan. I.

Legatio hodierni Evangelii a concilio Judæorum ad Joannem missa, non absimilis est ei, quam ablegat Christus ad fideles, cum mittit eis sacerdotes, qui illorum conscientias explorent ac dicant unicuique: *Tu quis es? Et quid dicis de teipso?* Pertinebat ad Judæorum pontificem et seniores scire, quid hic vel ille ageret in re religionis, ac proinde etiam cur Joannes baptizaret, novum introducendo ritum, idcirco non tergiversatur Joannes, sed respondet id, quod res erat; confitetur et non negat. Pertinet etiam, ac multo magis, ad Deum mundi gubernatorem, quid nostrum quilibet actitet. Sacerdotes et levitæ responsum de Joanne ferre debebant concilio; similiter confessarii respondere Deo debent de suis confitentibus. Mittit igitur ad nos legatos suos, non judices aut apparitores, qui terroribus et tormentis veritatem a nobis extorqueant, sed sacerdotes, qui, si eis fideliter et sincere statum nostrum exponamus, confiteamur et non negemus, dimittant quod pecca-



vimus, condonent, non condemnent. Nemo igitur esse debet, qui legatis istis non libenter et sincere respondeat. Quia vero hac in re plurimi delinquant, tergiversantur et negant, videamus quinam sint.

I. Reperiuntur, qui in genere tantum et in confuso peccata confitentur, dicendo se esse peccatores, peccare quotidie contra varia præcepta, adhibendo terminos æquivocos vel obscuros, mussitando aliquid vel ita celeriter loquendo, ut percipi non possint; quidam etiam dicunt se deliquisse contra omnia præcepta, in specie vero de hoc vel illo interrogati negant omnia: similes cuidam ægro, qui medicum adiens et de morbo interrogatus, dixit sibi omnia dolere. Cui medicus: Incipiamus ergo dentes primum evellere. At ille mox negavit dentes sibi dolore. «Duos isti errores committunt, (inquit cardinalis Bellarminus conc. IX.) dicunt enim quod non fecerunt, et quod fecerunt, non dicunt. Quæso te si reum aliquem ante tribunal iudicis constitueres, et nihil diceres aliud, quam ille egit contra legem; peto, ut velis ferre sententiam? Quid iudex ille responderet? Annon putaret se irrideri? Iste egit, inquis, contra legem. Contra quam legem, stulte? Quam sententiam feram, si quod ejus peccatum ignorem? Pari ratione si medicum adeas et dicas: Mihi aliquid dolet, adhibeas quæso medicamentum. Quid ille? Nonne dicet: Quid est, quod tibi dolet? Caput? Oculi? Dentes? Pedes? Renes? Quid tandem illud est? An putas omnia medicamenta omnibus malis convenire? Quid si tu podagra labores, et ego medicamentum dentibus adhibeam? Verum hæc inter homines raro, aut nunquam eveniunt; at coram confessario in negotio animæ multoties, quasi nesciant homines se ad sacerdotem tamquam ad iudicem et medicum animarum accedere, cui singula crimina et singuli morbi, quoad fieri potest, diligenter explicandi sunt, ut is recte iudicare et salubriter mederi possit: «Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat,» inquit concilium Tridentinum sess. XV. c. V. Rationem hujus doctrinæ idem concilium paulo supra affert his verbis: «Quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præses et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in

specie ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent.» Sic concilium.

II. Alii quidem non rursus referre singillatim peccata sua, verum nullam curam adhibent, ut explicent circumstantias, quoties, quo loco, quo tempore, qua ratione et contra quem peccarint. Quæ etiam non levis momenti negligentia est. Dic enim quæso: Si deberes alicui summam multorum aureorum, quorum summam divisim scriptam haberes in variis litteris seu apochis, in una X. in alia XXX. in alia C. verbi gratia: creditor vero tibi diceret, se tibi condonaturum omnia debita, quorum obligatorias litteras in crastinum ei attuleris; quid tunc quæso faceres? Numquid occasionem hanc negligeres, et solum eas chartas, quæ manibus primum occurrunt, acciperes, et cum illis ad creditorem venires? Non arbitrator. Sed potius noctem illam insomnem duceres et manu omnia perlustrares, quo chartas omnes perquirereres creditori offerendas, additis etiam illis, quæ dubia et incerta continerent debita. Par igitur est, ut idipsum faciamus in negotio animæ. Deus, cui plurima debemus, quodammodo dicit nobis, si summam debitorum nostrorum coram ipso ejusque vicario afferre et recitare voluerimus, se ea nobis omnia propria manu deleturum. Quis ergo non diligenter conquirit sua debita? Petrus ubi dividit eos, qui non lavantur, non habituros partem cum Christo, dicebat: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput*; offerens ad lotionem etiam ea, quæ non petebantur, petitamen posse videbantur; ita nos etiam dubia peccata confiteri expediret. Præclarum in hoc genere confessionem fecit ille Achan furti reus; Josue VII. dicebat enim ad Josuen: *Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti regulamque auream, quinquaginta siclorum* (en circumstantias numeri, pretii, qualitatis) *et concupiscens abstuli et abscondi in terra, etc.* Aliud est pallium detritum et pannosum rapere, aliud valde bonum: aliud est furari XX. siclos, aliud CC. aliud regulam argenteam, aliud auream: aliud semel, aliud decies furari: aliud percutere clericum, aliud laicum: aliud fornicari cum virgine, aliud cum maritata, aliud cum meretrice, etc. Achan suum peccatum cum omnibus circumstantiis fassus est, tametsi sciebat se damnandum et gravissimo supplicii incendio addendum. Nos vero nostra confessione nullum prorsus incurrimus periculum, sed evadimus gehennæ periculum, et animi summam adipiscimur libertatem et tranquillitatem.

III. Alii quam multi confessionem truncant, et partem pro toto offerunt, ad instar illorum Ananiæ et Sapphiræ conjugum, qui de pretio

agri venditi partem aliquam obtulerunt, partem sibi clanculum reservarunt; qui et propterea repentina morte puniti sunt, Act. V. Nihil melius agere cum Deo videntur, qui pro integra peccatorum confessione dimidiatam offerunt; proinde neque veniam, sed pœnam potius ab eo expectare debent. Scimus lib. II. Reg. cap. X. quid fecerit David legatis suis ad Hannonem regem Ammonitarum consolandum missis. Hos enim cum rex, a malis suis consiliariis persuasus, indigne tractasset, abradendo eis dimidiam barbam, et præscindendo vestes usque ad nates, commotus ira David exercitum in eum immisit, legatos vero illos in conspectum suum non admisit, donec crescerent eis barbæ et vestes integræ darentur. Hannon oneratum significat, et peccatorem repræsentat sceleribus onustum. Hic ergo sæpe legatos ad se missos, contritionem et confessionem mutilat, persuasus a malis consiliariis, uti verecundia, quæ dicit: Turpe est hoc peccatum, cave illud quod; timore, qui ait: Jubeberis restituere et tunc incipies egere; amore, qui suggerit: Quomodo poteris deserere rem adeo amatam; quod tibi injungetur, etc.

At Deus ejusmodi confessionem nequaquam accipit aut in conspectum suum admittit, nisi vestiatur integre. Ita enim docet post theologos concilium Tridentinum, sess. XIV. cap. V. «Oportere, scilicet a pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.»

IV. Confiteri solent aliqui leviora eaque accurate; interim tamen graviora, quæ per crassam ignorantiam non advertunt, reticent, qualia maxime sunt mentalia peccata, et pravæ concupiscentiæ adversus ultima duo præcepta commissæ: quæ peccata nonnunquam gravius animam sauciant et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur, inquit conc. Trid. loc. cit. sunt enim qui animum impudicis cogitationibus, oculos aspectibus, aures narrationibus, membra alia osculis et amplexibus pascent; nec tamen se peccare autumant; alii graviora quædam, uti ebrietates, transgressionis præceptorum Ecclesiæ pro gravibus delictis non habent, etc. quare nec confitentur. Similes hi sunt Sauli, qui I. Regum XV. jussus a Deo demoliri omnia quæ Amalecitarum erant, viros, feminas, parvulos lactentes, pecora, urbes; pinguiora reservavit, et inter alia pinguisimum regem Agag, reliquaque demolitus est; ideoque a Samuele graviter reprehensus, a Deo vero abjectus. Verum dicent aliqui se peccata illa vel oblitos esse, vel non posse deprehendere aut discernere. Sed quid si illis Deus obiciat prudentiam sæcularem, qua quid sibi de-

beatur, optime discernunt? Quæro enim ex te, num debitores habeas? Ita, inquires, tres; primus debet centem cum vitulo; secundus CC. cum duobus caponibus, tertius CCC. cum butyri centenariis. Iste debet solvere in festo Sancti Martini, alter ad diem Sancti Georgii, tertius ad Purificationem: bene est, vales memoria. Quid vero si non solvant? Mitto, remitto, tandem pro cautione, quam habeo, immisionem in eorum bona peto a magistratu. Ecce præter memoriam etiam solertiam habes. Et cur non item in negotio animæ tuæ? Debes Deo pro quantum! Quando vero solves? Quid si auferat a te Dominus villicationem priusquam composueris tuas rationes? Bene igitur docet Major. in IV. d. XXVII. q. III. peccatorem in examine conscientiæ suæ œconomum severi et tenacis domini imitari debere, cui e longo tempore rationes non reddidisset, adeoque exactissime rationes illas componere, nihil prorsus omittere nedum graviora. Quoties Christus Dominus in eodem homine plures dæmones reperit, omnes simul ejecit, nullum ibi reliquit; a Magdalena septem ejecit, a Geraseno quodam legionem. Igitur et nos in confessione omnia peccata simul ejicere debemus, neque enim unum mortale sine altero dimittitur.

V. Alii cæci et stupidi sunt, ut nihil prorsus de statu conscientiæ suæ dicere possint, quodque amplius est, a confessario expectant conscientiæ suæ cognitionem; similes Nabuchodonosori, qui cum de nocte somnium habuisset, vocavit ariolos, magos, maleficos et Chaldæos, ut indicarent ei somnia sua, (siquidem mente confusus ignorabat quidnam somniasset.) Illi vero responderunt: *Dic somnium servis tuis et indicabimus interpretationem ejus.* Daniel. cap. II. Ad eundem enim modum alii, quia peccatorum suorum somnia nesciunt vel oblitos sunt, petunt a confessario eorum relationem. Dicant ipsi somnia sua; gratior etiam Deo est haud dubie confessio ultronea, quam emulcta. Non frustra jubetur Moyses Exod. cap. trigésimo, ad conficiendum oleum unctionis sumere myrrham primam, seu liberam (uti Septuag. interpr. et Chaldæus habent) quæ scilicet ultro ex arbore non incisa fluit; (nam myrrha quæ ex arbore incisa, minus præstans est) significat enim hoc, si velimus ungi gratia absolutionis, afferendam esse confessionem liberam, non extortam et coactam, quæ parum valoris habet.

VI. Alii nec sponte sese explicant nec examinari volunt, dum se innocentes putant. Qui in primis interrogari deberent; cur medicum requirant, cum se non male habeant? Putant se rem bene egisse, si confessarium naso suspendant. Verum isti non confessarium, sed seipsum decipiunt: nisi mentitum esse velint Joan.



nem, qui ait : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus : ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, I. Joan. I. Cum ergo peccatis obnoxii simus omnes, vult omnino Deus, ut gloriam quam peccando ei abstulimus, confitendo restituamus, et ita veniam obtineamus; aut, si confiteri nolimus, ipse aliquando promulgabit scelera nostra et simul nos damnabit. Cæterum salvare nos vult Dominus quantum est in ipso, non damnare; vult ergo ut nos ipsos potius accusemus, quam ab ipso accusemur. Ita enim per Isaïam cap. XLIII. juxta lectionem Septuag. interp. ait : *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris*. Hujus rei exemplum datum nobis in Achæ Jos. c. VII. qui ut stimularetur ad confitendum ultro peccatum, edixit primo Deus comburendum esse prævaricatorem cum omni sua substantia. Sed cum nondum se proderet reus, cœpit eum indigare per sortes. Applicantur primo tribus duodecim et prodit tribus Juda. In hac indagantur familia, et prodit familia Zare. Hæc dividitur in domos, et prodit domus Zabdi; hæc divisa in viros, inventus est tandem Achan, cui Josue : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris*. Et tunc demum deprehensus, confitetur Achan, cum tergiversari jam non poterat, idcirco cum omni substantia sua lapidatus et combustus est; veniam haud dubie, vel mitiorem saltem pœnam accepturus, si mox ultro se reum prodidisset : siquidem alias statim a Deo prodi poterat sine tot ambagibus, quæ propterea adhibita videntur, ut reus culpam agnoscens, veniam prior et ultro posceret. Quanta hæc gratia foret, si magistratus civilis culpam donaret iis, qui se ultro deferrent et scelera faterentur! Non hic mundus facit, Deus facit. Viderunt istud turbæ, publicani, milites, qui ad Joannem exierunt in desertum confitentes peccata sua et quærentes : *Quid faciemus?* Matth. et Luc. III. quasi præventuri iram Dei sua confessione. Unde hoc miratur Joannes, mox subjiciens : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Matth. III. Quasi dicat (ut vult Gagnæus et alii) : Quis ostendit vobis hoc asylum, ut per confessionem fugere possitis iram Dei? Viderunt hoc et Ephesii illi, qui ad Paulum veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos : item astrologi judicarii, qui contulerunt libros suos et combusserunt coram omnibus : Actor. XIX. Idem imitatus est magus quidam conversus a S. Augustino, de quo ipse in Psal. LXI. ait : *Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* Par ratio est de peccatis nostris : nisi ea comburamus per confessionem, comburent illa nos. Vidit denique hoc S. Job c.

X. dicens : *Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo : Noli me condemnare* : quasi dicat, Loquar prior, ne damnantem audiam Deum.

## CONCIO VIII.

STABILIENTUR ET EXPONUNTUR CÆREMONIÆ BAPTISMI.

I. Patrini assistentia. — II. Nominis impositio. — III. Exorcismus. — IV. Osculum pacis. — V. Sal. — VI. Manus impositio. — VII. Crucis impressio. — VIII. Sputum. — IX. Abrenuntiatio. — X. Catechesis. — XI. Uocatio s. olei. — XII. Symbolum. — XIII. Immersio. — XIV. Carisma. — XV. Vestis alba. — XVI. Cereus. — XVII. Adductio ad altare.

## THEMA.

*Ego baptizo in aqua.* Joan. I.

Mire offenduntur hæretici cæremoniis baptismi. Quemadmodum enim Judæi curiose indagant, cur Joannes baptizaret; ita nostri hæretici crebro nos reprehendunt, cur tot cæremoniis baptismum administremus. Cur baptismi aquam, inquirunt, tot precibus sanctificatis? Cur oleum et chrisma, cur cereum ardentem, cur inspirationem, cur salem, sputum aliaque adhibetis? Ubi hæc excogitata? Quid sibi denique volunt? Ergo ut partim his respondeamus, partim doceamus fideles horum rituum antiquitatem et significationem, nunc eas explanabimus; et veterum Patrum auctoritate firmabimus; maxime quia hi ritus frequentissime spectantur, a paucis tamen intelliguntur.

I. Assistentia patrini seu susceptoris usitata tempore Apostolorum, teste Dionys. areopag. c. de baptismo. Idque primo quæ Ecclesia de suscepto securior sit, acceptis fidejussoribus; eos enim *fidejussores* appellat ibi Dionys. et Aug. ser. CXVI. CLXIII. et CCXV. de tempore Tertullianus de bapt. c. XVIII. sponsores. Secundo, ut nullus sit Christianorum qui non habeat pædagogum; ideo enim patrini vocantur fidei doctores ab Augustino ep. XXIII. ad Bonif. et serm. CCXV. de tempore. Unde Walfridus Strabo de rebus Eccl. c. XXVI. ait : *Debet spiritualis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscipit, cum ad ætatem pervenerit insinuare confessionem, quam pro eo fecit, ut qui aliena confessione, sicut paralyticus fide portantium, meruit a peccatorum solvi languore, studeat salutis præstitæ vivere non indigne, et sua impleat executione, quod illorum confessus est ore.* Tertio, ut expressius referatur generatio spiritualis, adhibitis spiritualibus parentibus. Patres enim dicuntur susceptores et suscepti filii. *Quare* (ait Nicolaus papa ad consulat. Bulgar. c. II.) ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro

fonte. sicut patrem : quin imo quanto præstantior est spiritus carne, tanto magis spiritualis pater in omnibus est a spirituali filio diligendus. Unde etiam spiritualis oritur inter eos cognatio. Concil. Nicæ. c. XXV. et XXIII.

II. Nominis impositio. Olim hæc fiebat in circumcissione, nunc fit in baptismo. Dion. I. de Eccl. hier. Debet vero susceptus ipse, si adultus sit, nomen sibi sumere. S. Clemens, ep. III. alioqui dant susceptores. Niceph. I. VI. c. XXII. Eorum em nomina consignabantur litteris, et recitabantur in Ecclesia, ut est in ordin. Rom. Significat autem quod baptizatus, cum abrenuntiatione prioris denominationis, debet Deo dare nomen suum et catalogo militiæ ejus inscribi.

III. Exorcismi usus, qui verbo et sufflatione peragitur ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine. S. Aug. de Eccl. dogmat. c. XXXI. Dion. in Eccl. hier. ut princeps mundi hujus foras mittatur, ut ait Aug. I. V. hypognosticon.

IV. Osculum pacis, quod olim sacerdos dabat baptizando, dicens : *Pax tibi*, in signum reconciliationis cum Deo ejusque Ecclesia. Cyr. I. III. ep. VIII. Sed hoc exolevit.

V. Benedictio et porrectio salis. Orig. hom. VI. in Ezech. *Ut baptizandus per salem typicum conditus iniquitatis fæctore careat.* Vel ut gustato eo sale præcepta illi christianæ aduclia fiant, vel ut eo veluti promissionis suæ factæ memorialia corruptione peccati et relapsu sese præservet, memor uxoris Loth in salem versæ; vel ut is in corpore ejus concupiscentiarum carnalium sterilitatem inducat, et vermes peccatorum arceat. Scimus enim ex S. Hieronymo urbes aliquot vastatas sale fuisse consitas, ne quid ibi cresceret. Denique ut baptizatus veram sapientiam divinam accipiat, et discretionem in omnibus utatur.

VI. Manus impositio, quæ fit a sacerdote, Dion. de Eccl. hier. significat reconciliationem, qua qui fuerat extra Ecclesiam, in gratiam Ecclesiæ venit (sic etiam imponitur manus in absolute pœnitenti) vel ideo, ne malignus spiritus redire audeat, ut vult Aug. I. 2. de peccat. mer. c. XXVI.

VII. Crucis impressio fronti facta, Dion. in Eccl. hier. c. II. *Non sine causa* (ait Aug. ad Psal. XXX.) signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Ambr. I. de iis qui init. ait : *Catechumenus crucem Domini, qua frons ejus signata est, credit.* Imprimatur etiam in aliis membris; pectore ut intelligat hoc signum sibi intime impressum nunquam debile usque ad extremum

I

judicium; in ore, auribus, naribus, ut aperiantur sensus ad cognoscendum verum Deum, ut omnibus viribus eum confiteatur, utque sciat sibi gestandam crucem Christi, seque esse habitaculum Spiritus Sancti; nam ex signo externo arguitur, et cognoscitur taberna.

VIII. Nares et aures sputo attinguntur; S. Ambr. I. I. de sac. c. I. aures, ut sciat discernere vocem pastoris a voce alieni; nares ut ex odore creaturarum nihil tetrum hauriat, sed in iis Deum agnoscat et laudet, eique soli adhaereat. Rursum aures, ut non surdus audire vocem Dei incipiat. Nares, ut bonum odorem accipiat pietatis æternæ, ait ibi Ambr. Idque ad exemplum Domini, qui ita surdum et mutum sanavit; et in signum, quod doctrinam fidei baptizati audierint et confessi sint, ut vult Ambr. ib. et Aug. tr. XLIV. in Joan.

IX. Abrenuntiatio Satanæ, ejus pompis et operibus, quam ab apostolis fluxisse ait S. Clemens, I. VII. const. apost. c. XLI. et XLII. Dion. Areop. de Eccl. Hier. Unde Ambr. I. I. de sac. c. II. ait. *Quando te interrogavit sacerdos : Abrenuntias diabolo et operibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo et voluptatibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius ut pecuniam ejus accipias, et postea ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare : ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo.* S. Hieron. ad Psal. CXXVIII. ait : *Pactum fuit Israeli cum Deo, quando dixit ad Moysen : Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus. Sed et nunc nos paciscimur in baptismo ut abrenuntiemus diabolo et operibus ejus.* Rursum S. Ambr. I. de iis qui mysteriis initiantur c. II. ait : *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus; tenetur vox tua non in tumultu mortuorum, sed in libro viventium. Præsentibus angelis locutus es : non est fallere, non est negare.*

X. Catechesis de qua S. Dion. c. II. Eccl. hier. S. Clemens, ep. III. ad universos. Ea fiebat per quadragesimam, cujus loco nunc legitur Evangelium, et admonentur susceptores, ut parvulum instruant, cum ad usum rationis pervenerit. Præcipitur hæc dispositio Matth. XXVIII. *Et untes docete omnes gentes baptizantes eos, etc.* Ita Actor. II. Petrus prius fidem et pœnitentiam annuntiat, postea baptizat. Et Act. VIII.

9